



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Optimeq[ue] munus gerit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

possent, leuarentur. Quanquam deplorabat eo redactam rem, vt ne propositis quidem præmijs ac stipendijs ad sacra Theologiæ studia compelli iuuentus posset. Vsq̄ue adeò diuina viluerant.

*Academiæ  
fit Rector.*

*Optimeque  
munus gerit.*

Ecce autem tot laboribus presso nouus labor accedit, Rector ipsius Academiæ creatur. Per inuitus suscepit id muneris, tum quia indignum se, imparemq; censebat, tum quia verebatur ne non satis cum societatis disciplina congrueret. Sic tamē administrauit; vt multa esset materia laudes, gratiasque agendi bonorum autori, ac fonti Deo. Fatebātur vulgo palam studiosos in eo magistratu egisse multo, quàm soliti essent, modestius. Communis fuit trāquillitas etiam tum, cum tumultuandi impune, debacchandique licentiam dare videtur inueterata consuetudo ferijs ante magnum ieiunium. Notandos, qui extabāt, Hæreticorum libros curauit: ne venderētur edixit: ne in posterum inferrentur cauit; qui quidem Grammaticis etiam, Rhetoricisque, & Dialecticis monumentis præsentia venena insperferant. Quæ altis fixæ radicibus vitiosæ consuetudines placide, subitoque obliterari nequibant, eas collegit omnes in commentarium, misitq; ad ipsa totius  
Acade-



Academiae capita, quorum propriae erant partes communi scholae utilitati, emendationique providere. Valuit ea res & ad leuandam Rectoris apud Scholasticos inuidiam, qui nec facile tot morborum ab eo recepturi medicinam videbantur, & ad liberandam periculo eiusdem conscientiam, si quid minus impetrabile casto tentaret strepitu. Adenique adiuncta illa vigilantiae verecundia pergrata iis accidit, quorum authoritati officioque sananda vulnera commissa sunt. Eo quoque summa Canisij prudentia, pietasque se protulit. Cum haud deessent bonis Parentibus filij mali (quos utinam Academiae, atque gymnasia nullos haberent) ipse Parentes, tametsi procul disiunctos per literas admonuit; mature ut sibi, liberisque consulerent: coercerent aetatis illius, & indolis petulantiam: viam exquirerent, ut quibus vitam dedissent, iis meliorem traderent recte, honesteque viuendi rationem. Quae res & filiis profuit, & conciliauit parentes. Iam quia puniendi erant nonnulli, vel ob noxae magnitudinem, vel in aliorum exemplum, vel ob retinendam veterem disciplinam; alij quod insanabiles, ac desperati viderentur, in exilium acti; alij grauius reprehensi, neque sermonibus



bus tantum, sed etiam carcere castigati, quod melius curari non posse existimarētur; alij chirographum dare iussi, & sistere fideiussores, qui vitam ipsos serio correcturos sponderent. In condonanda noxa conditiones præscriptæ certæ: nonnullis quidem vt in dies aliquot, aliis vt in hebdomadâ, & amplius abstinerent prorsus à vino, cuius vsu fuissent abusi: quibusdam vt nulla gestarent arma, aliis vt ad certam horam vesperi essent domi, non egressuri ante lucem: præterea vt redirent singulis mensibus ad Rectorem, probatumque afferrent testimonium de vitæ suæ institutione. Breuiter, non caritatis modò, sed etiam iustitiæ exercendæ locus multiplex datus est, admirante Canisio, quo pacto fieret, vt nō diuersæ tantum, sed etiam contrariæ simul res in vna hac societate administrarentur: dum alij captiuos redimerent, ipse mitteret in carcerem: alij demulcerēt iratos, reconciliarēt offensos, ipse plecteret, obiurgaret, ac terreret, & castigaret improbos. Ita nimirum nō secus, ac periti Medici ad omnium se languores remedijs hic mitibus, illic asperis serui Dei accommodabant, omnibus facti omnia, multos vt lucrifacerent Christo. Vbi perfunctus est munere, reddent-